

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCLV.**

**VD18 90538846**

I. Dissertatio Medico-Chirurgica Inauguralis, Exhibens Casum De Vulnere Fronti Inflicto.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16489**

DISSERTATIO  
MEDICO-CHIRURGICA  
*INAUGURALIS, EXHIBENS CASUM*  
DE  
VULNERE FRONTI INFLICTO;

Quam pro gradu Doctoratus defendet

JOHAN. ANDREAS CONRADI

*Osteroda - Hannoveranus.*

Lugduni Batavorum 9 Januario Anno 1722.

Tom. I.

A



DISSERTATIO  
MEDICO-CHIRURGICA  
DE  
VULNERE FRONTI INFILICTO  
Auctore  
JOHANN. ANDREAS CONRADI

Quam pro gradu Doctoratus habet

Officina - Hannoverana.

Regium Hannoverae 9 Junii Anno 1755

Tom. I.



## HISTORIA MORBI.



Nno MDCCXIX, primo mensis Martii die ex Ducatus Grubenhagenensis quadam urbe, quæ *Ofteroda* antiquitus appellata fuit, miles quidam gregarius, ætatis 54 annorum, temperamenti sanguineo-melancholici, ad conquirendum lignum in silvam se contulit; cum enim in patrio solo hoc beneficii genus ad omnes infimæ fortis homines redundet, modo arboribus vivis parcant, ille, ab officio sibi consueto tunc temporis liber, hancce occasionem amplectebatur. Dum vero in terra, nive ea tempestate non parum adhuc referta, nihil vel parum admodum reperit, altam conscendit abietem, ut voti sui compos citius redderetur. Indutus erat veste viridis coloris, capitisque partem superiorem, ad arandum frigus, obduxerat mitrâ e pellibus confectâ; in patria dicunt: *Er hatte eine raube mütze, oder Kappe, auff.* Tunc accedit casu saltuarius, ligni curam gerens, bombardâ, ad insequendos quadrupedes, ante infractâ instructus, qui, dum quidquam in arbore quod movebatur animadvertit, attente in id direxit oculos: quo viso, tremebundus armiger in arbore se abscondere conatur, atque nec corpus, nec vocem movere audet, sed transitum saltuarii anxie expectat. (Hi enim homines, concessâ a Magistratu veniâ, omnes punire valent, quoscumque securem in vegetantes commisisse arbores deprehendunt.) Hic interim nihil præter illam mitram distincte observans, cum vestimenta ejus reliqua eundem abietis colorem viridem referrent, eam pro bruto, Martis nomine insignito, uti quidem dixit, reputat, hujusque amore ductus, directam in hunc miserum bombardam explodit: sed loco quod sperati sui laboris prædam reportaret, heu! in conspectum venit, præter voluntatem, ut videtur, vulneratus miles, atque de hac illata injuria, læsoque sibi capite vehementer conqueritur. Ille, de inopinato hocce facto perterritus, commissum erroneum crimen sedulo explicat, veniamque ab eo precatur, examinatum autem caput præter dictam mitram strophiolem munit, utque Chirurgus se committeret sanandum, serio eum admonet, cujus salutari consilio auscultans, sumta secure, quod mirandum certe, dimidiæ fere horæ spatio ab urbe distans nemus deferit, utque domum revertetur omnes intendit nervos; vix autem urbem ingressus, non sine magna conjugis atque hinc inde concurrentis vulgi compassione, quid sibi factum sit gemebundus narrat, & ad sanandum vulnus chirurgi implorat auxilium: qui simul ac accessit, capiti impositam mitram cum strophiolem removet, vulnusque explorat, quod eo tutius peragere potuit, cum fere nihil efflueret sanguinis

guinis, qui alias chirurgum vel operantem, vel corpus vulneratum visitantem, non parum impedit. Anguem vero sub herba latitare ratus, *Parentis mei* in Patria Physici ordinarii efflagitat praesentiam, qui eo mecum sese statim contulit. Capite igitur sedulo examinato, duo oculis nostris se offerebant vulnera, quorum alterum in ossis frontis parte inferiore, duobus cum dimidio circiter a radice nasi digitis transversis, eo fere loco quo in infantibus & paucis adultis futura sagittalis pergit, prope venam frontalem, reperiebatur. Alterum vero in ejusdem ossis latere dextro, ad os temporum spectante, ejusdem a superciliis ferne distantiae, majoris vero momenti, advertebatur. Situs, quem laesus eo tempore habuit, ab aegrotto quidem ignorabatur, pervestigatio vero specilli clare patefecit, talem eum exitisse, ut globulus directe cranium pertundere potuerit. Distantiam, quae inter laedentem & laesum intercessit, determinare non possum, cum ipsemet praesens non fuerim, neque ex aegrotante explorare eam potuerim. Verosimile tamen est, laedentem laeso non adeo propinquum fuisse, partim, quoniam duo tantum globuli militis caput attigerunt, quod fieri non facile potuisset, si ei proximus fuisset; dum globuli eo magis disperguntur, quo magis remotum est corpus quod ab homine sclopetum explodente petitur, uti hoc illis, quibus saepe cum sclopetis res est, constat: partim, quia alias distinctius forte hominem cognovisset saltuarius. Globuli vero isti plumbei, qui solutionem continui hic effecerunt, magnitudinem pisi nondum aequabant, quorum prior saltem per integumenta capitis communia, oblique in musculum frontalem usque penetravit; quo cum aliis particulis alienis à Chirurgo semoto, vulnus iusta methodo tractatum, paucis praeterlapsis diebus sanatum est. Alter vero globulus in dextro latere diametraliter (pari modo ac globulus per asserem e bombardam trajicitur,) sine fissura, aut alia cranii laesione, per integumenta capitis communia, musculum frontalem, pericranium, cranii lamellam externam, diploem, cranii lamellam internam sive vitream, omnes meninges, in cerebri substantiam ipsam erat impulsus, variaque ejusdem superficiem perreptantia dilaceraverat vasa; quod exinde nobis constat, quia cum caute intromisso specillo nulla prorsus dabatur resistentia, tum illud extractum cerebri portiunculis sanguine permixtis commaculatum conspiciebatur: Ex quibus haud difficulter colligitur, quanti illud fuerit momenti. Data nunc historia morbi, ordine sequitur ipsius.

## C U R A.

Simulac Chirurgus accessit, vulnus ab omnibus statim corporibus vulneri p. n. inhaerentibus, quantum fieri poterat, (globulum enim ex hoc vulnere Chirurgus nequaquam eximere potuit,) repurgatum, vino calido mundificatum, ab aere externo, ope mastichis, thuris &c. carbonibus non fumantibus injecti, puriori reddito, defensum, atque emplastro infra nominato munitum, ac debito modo deligatum fuit; deinde, ad diminuendum majorem

jorem

jorem ad has partes sanguinis adfluxum, præcavendamque periculofam ejus obstructionem, & hanc excipientem inflammationem, sanguis e Vena in brachio missus est. Quo vero cetera averterentur, quæ alias presso pede ejusmodi vulnerationes insequi solent, symptomata, nempe vomitus biliosus, febris vulneraria, syncope, convulsiones, delirium, inquietudo &c. medicamenta tam externe, quam interne, ad finem curationis adnexa, propinata sunt: injungendo simul regimen exactum, in gravioribus vulnerationibus necessarium, & observando VI. illas res, a Veteribus *non naturales* dictas. Quibus omnibus optatum nostrum finem, non sine magno ægroti gaudio, conjugisque & percutientis solatio, adjuvante summo Archiatro, sufficientissime impetravimus: nullis enim aliis vexabatur symptomatibus, quam anorexia, somni per paucas saltem noctes interceptione, capitisque obtuso dolore; febris quidem adfuit, sed non adeo diris, ut alias solet, stipata symptomatis. Sic quoque absurda pauca quandoque protulisse adstantes referabant, vix autem tanti ea fuisse credo, ut pro delirio perfecto reputari possint; primum igitur gradum ejus appellare liceat. Ne autem præter intentionem nostram, & ante omnem materiæ expurgationem, justo citius concreveret vulnus, emplastrum in turundæ formam redactum vulneri immisum est, quo in deligatione, sæpius facta, extracto, capiteque ad terram paululum inclinato, ac spontanea excitata tussicula, vel aëris, obturatis naribus, momentanea in pulmonibus retentione, materia prioribus diebus subalbida, perfecte cerebrum referens, & sanguine commixta adeo copiose in quavis vulneris inspectione prodiit, ut instrumentum digitalis nomine notum, quo netrices vulgo utuntur, commode eadem impleri potuerit: quæ vero postea in pus conversa indies ad finem curationis usque successive minuebatur. Interim antea quidem quibusdam laborasse morbis retulit, vulneratus autem & multum temporis ante hoc acceptum vulnus satis bene sese habuit; per totum etiam morbi decursum alvus nullo stimulo egebat, sed libere respondebat. Sequuntur nunc ea, quæ in Cura de die ad diem a *Parente meo* præscripta sunt remedia; primo scilicet Martii die his prospexit ei formulis: Rec. Empl. de Beton. ℥ij. D. S. [1] *Haupt-pflaster*. quod super lintea molliora extensum Chirurgus vulneri applicuit. Rec. Rad. Pœon. ℥jβ. Irid. Florent. arif. toloch. rotund. ana ℥j. Herb. Beton. Majoran. serpill. ana Mij. Flor. Lavend. Primul. Ver. Til. ana p. ij. Conc. & Cont. qu. op. D. S. species *zu*

[1] Em-  
plastrum  
Cephalicum

[2] *Hauptküssen in wein zu kochen*. Hæ species cephalicæ & antepilecticæ inter sacculos ex linteis mundis confectos confutæ, & in vino coctæ iteratis vicibus capiti calide superpositæ sunt, magnamque exhibuere efficaciam. Rec. Aqu. flor. sambuc. ℥iv. Cordial. frigid. ℥ij. pulv. Marchion. contr. Cafum ana ℥ij. antimon. diaphoret. ℥j. cinnab. nat. select. ℥j. Syrup. pœon. ℥iij. M. D. S. [3] *Wundtranch*. De hac mixtura, ante usum parum commota, ægro omni bihorio duo cochlearia propinata sunt. Die secundo Martii: Rec. Aqu. Cherophyll. flor. Sambuc. borrag. ana ℥iijβ. pulv. Marchion. contra caf. ana ℥β. bezoard. mineral. gr. xij. cinnab. nat. select. ℥β. syrup. flor. nymph. ℥β. M. D. S.

[2] Pro-  
cucupha in  
vino co-  
quendum.

[3] Potio  
Vulneraria.

- [1] Mixtura Cephalica. [1] *Haupt Mixtur.* Hac Mixtura simili modo, ac ea, quæ antecessit, æger noster usus est. Die quarto: Rec. mell. ros. ʒiij. Ess. myrrh. ʒj. Tinct. Croc. ʒß. M. D. S. [2] *Eüßerliche Essenz.* Hanc essentiam Chirurgus externe vulnere successively applicuit. Rec. Aqu. Borrage. Bugloss. ana ʒij. Cerafor. nigr. flor. acac. ana ʒijß. pulv. Cephalic. Marchion. ana ʒß. antimon. diaphor. martial. ʒj. cinnab. nat. sel. ʒj. Julep. ros. ʒß. M. D. [3] *Haupt-stärckende Mixtur.* Hæc Mixtura ut præcedentes adhibita fuit. Rec. Rad. Pœon. Aristol. rotund. ana ʒj. Herb. majoran. serpill. betonic. ana Mijj. Flor. lavendul. sambuc. ana Mij. anth. p. ij. C. & C. q. o. M. D. S. species [4] *zu Haupt-küßsen.* Cum supra præscriptæ species pro cucuphis consumptæ essent, hæc iterum in eundem usum substitutæ sunt. Die sexto Rec. Bals. de Copaib. ʒij. D. S. [5] *In-und Eüßerlicher Balsam.* Hic interne a gutt. viii. ad x. in debito vehiculo, & externe pro vulnere à Chirurgo adhibitus fuit. Die octavo: Rec. Aqu. flor. Acac. ʒiv. ceraf. n. Cinnam. Cydon. ana ʒijß. pulv. Cordial. Dorncreill. ʒß. bezoard. mineral. gr. xv. Corn: Cerv: philof. præparat. Matr. perlar. ana ʒj. syrup. flor. nymph. ʒß. M. D. S. [6] *Stärck-Mixtur.* Hæc Mixtura ut præcedentes exhibitæ est. Rec. C. C. phœe. præparat Matr. perl. ana ʒj. pulver. Cord. Dorncr. Nitr. antimoniæ. ana ʒß. Cinnab. antimon. ʒj. M. Divid. in viii. pt. æqu. D. S. 8. [7] *Haupt-pulver.* De quibus æger sæpius de die unum adsumsit. Die decimo quinto: Rec. pulv. thur. Oliban. ana ʒß. mell. ros. ʒiij. Ess. alœet. gt. xv. M. D. S. [8] *Eüßerlicher Balsam.* Hoc balsamo Chirurgus in deligationibus suis, pro mundificando ac exsiccando vulnere usus est. Rec. Aqu. Cordial. frigid. ʒj. Cinnam. c. V. meliss. f. V. ana ʒij. syrup. de ros. sicc. ʒß. M. D. S. [9] *Stärckwasser.* Hac aqua vires ægri labefactatas revocavimus. Rec. spirit. salis ammoniac. C. C. rectific. ana ʒj. M. D. S. Spiritus [10] *Zum anriechen.* Hicce spiritus naribus ægroti sæpius oblatus fuit.
- [2] Essentia pro usu externo.
- [3] Mixtura confortativa cephalica.
- [4] Pro cucupha cephalica.
- [5] Balsamus pro usu interno & externo.
- [6] Mixtura confortativa.
- [7] Pulvis cephalicus.
- [8] Balsamus externus.
- [9] Aqua confortativa.
- [10] Pro odore.

Et hisce medicamentis, quæ successivo usu, ad Præscriptum Parentis, adhibita sunt, dextraque Chirurgi manu æger noster trium mensium spatio, auxiliante Divino Numine, restitutus est, atque in hodiernum usque diem vita ac sanitate gaudet, neque de aliis queritur molestiis, quam quod à mutatione aëris tempestatumque alterationibus dolorem parvum obtusum in capite persentiat. Cum vero, partim ob ætatem, quam agit, provectiorem, partim vero ob gravia, quæ fortasse incurrere potuisset incommoda, ex ordine militari exclusus sit, victum suum & amictum ex negotiis œconomicis hoc tempore quærit, & cum conjuge, atque ex hac sibi natis liberis tranquillam vitam ducit.

## R E S O L U T I O.

Præsens, qui hic sistitur, affectus referendus est ad Contusionem, juncta cum cranii fractura; qui non levis est considerationis, quoniam a corpore obtuso profectus est, & partes non tam externæ, ut inprimis pericranium, quod a dura matre formatur, quemadmodum probe demonstrat *Clopt. Ha-*  
*vers,*

vers, cranium item, quam capitis partes quædam internæ nobiliores simul læsæ deprehensæ sunt. Cumque *Contusio accumulatio vulnuscilorum cum attritu solidorum* & *vasculorum sit*, ut optime in egregio libello *Aphorismorum de cognoscendis* & *curandis morbis* notat *Excellentissimus* & *numquam sine honoris præfamine nominandus* D. HERMANNUS BOERHAAVE, *Præceptor ac Fautor meus semper magni habendus, & celeberrimus* quoque, olim Altorfensium, nunc vero Helmstadiensis *Professor, D. Heisterus*, in Chirurgia sua, non ita pridem edita, monuit; adeoque his incommodis jungatur, ut partes fortius commoveat, vasa dilaceret, suppurationem difficiliorem reddat, & sanationi minus obtemperet, periculo omnino non vacavit, sed lethalis fieri facillime potuisset. Tali etenim in casu ob majorem sanguinis adfluxum, ejusdemque promptiorem obstructionem plerumque oboriuntur acerrimi dolores, ingentes inflammationes, ossium caries, atque corruptio, gangræna, sphacelus, & hunc tandem excipiens mors: inprimis si ætas provector, corpus debile, aut morbis ante labefactatum, anni tempus frigidum coincidit, quod teste *Hippocrate* *sect. V. Aphor. IIX. ossibus, nervis, & cerebro inimicum existit, & sect. ead. Aphor: XX. cutem obdurat, dolorem insuperabilem facit.* Si præter hæc error in diæta, vel pravum regimen accedit, non mirandum, quod vulnera, quamvis levissima, quandoque lethalia reddantur. Qui hac de re dubitat, adeat *Celeberrimi* nostri BOERHAAVI supra citatum librum, ubi claram asserti hujus confirmationem inveniet. Sicuti proinde omnia ea, quæ sanguinem in vasis obstructum resolvunt, attenuant, in motum redigunt, inflammationem minuunt, & gangrænam ipsam avertunt, quam maxime proficua sunt, & in nostro affectu optimo cum successu propinata fuerunt; ita e contrario cuncta, quæ contrarium effectum edunt, nociva esse, facile intelligitur. Hinc porro in omnibus vulneribus, ubi ossa, tendines, ligamenta, nervi, membranæ, cerebrum &c. denudata sunt oleosa ac pingua, quemadmodum & hic factum vides, cane pejus & angue vitanda sunt. Hæc enim substantia sua viscosa ac unctiosa poros obstruunt, neque emolliunt, particulis ramosis non penetrant, neque stagnantes humores movent, sed transpirationem impediunt, inflammationem augent, separationem prohibent, ossibus cariem, atque corruptionem inducunt, cerebrumque putrescere faciunt, quod bene observavit *Scultetus* in *Armamentario suo Chirurgico, Tab. XXXII. p. 114.* Et *Paulus Barbette Obs. I. Cap. de vuln. capitis p. 62.* inquit: *Omnia pingua, (loquitur de vulnere quo cranium quoque læsum fuit) hic sedulo vitavi, quia particulis suis ramosis valde angustis cranii tubulos satis pertinaciter obstruunt, atque ita efficiunt, ut Humores stagnent, acescant, & cranium corrumpant, cariemque inducunt.* &c. Mirabitur hic forsitan quis, cur ex cavitate cranii globulus ille non extractus fuerit; scias autem, hoc minime neglectum esse ex imprudentia quadam aut oscitantia Medici, vel Chirurghi incuria, sed datâ operâ: quoniam ille nempe ex tam angusto foramine sine magno dolore, partium dilaceratione, ac periculosissimis expectandis symptomatibus eximi non potuit. (sepe-

numero





numero accidit, ut Lithotomi exercitatissimi non invenire possint calculum, qui in vésicæ urinariæ tam ingenti cavo hæret, quanto magis se subducere potest glans plumbea tam exiguæ molis, intra partes solidas, quale est cerebrum, ejusque meninges, adacta.) Præterea cerebrum, tam nobilis corporis nostri pars, non permittit instrumentis multum in eo circumvagari. Bene hinc inquit *Doctissimus* atque *Experientissimus* D. D. *Henricus Nicolai*, *Reverendus Practicus Argentiniensis* in *Diss. Argentorati 1675. de vuln. sclopet. habita: Cavendum ne Chirurghi plus noceat manus, quam quæ alias vulneribus sunt infixa. Quæcumque enim corpora metallica, ossea, aut lignea manibus aut instrumentis chirurgicis, citra insignem dolorem, partium dilacerationem aut noxam extrahi nequeunt, Naturæ sunt relinquenda; Quæ quid, sibi relicta, efficiat, præter alia videri potest in stupendo exemplo, hominis 24 annorum *Abrah. Efermann*, in Patria *Sinsenheim* prope *Heidelbergam* nati, qui a dolio ingentis magnitudinis, vino impleto, circa medium ossis frontis non modo enormem integumentorum contusionem, sed & ossis fracturam, cum insigni partium comminutione, cerebrique commotione, passus est; portionibus integumentorum & fragmentorum ossium, sine Medici aut Chirurghi opera, postea separatis. Divina vero annuente gratia, amissam recuperavit valetudinem, ac per 40 annos servatus est. Qua de re legi meretur *Dissertatio* D. *Jo. Gambs*, habita sub Præsidio celeberrimi D. D. *SALZMANNI*, *Anat. ac Chirurg. h. t. Professoris Ordinarii, Præceptoris ac Fautoris mei estimatissimi*. Ut taceam alias notatu dignas observationes, apud varios Auctores repertiundas. De naturæ vero in sanandis morbis efficacia vid: *Præceptoris quondam Honoratissimi* D. *FRIDERICI HOEMANNI*, *Professoris Hallensium Celeberrimi, doctissime conscripta Dissertatio, De Natura, morborum medicatrice*. Sed ut ad propositum redeam, constat quod globulus dictus intra calvariam relictus fuerit, nec alia ratione, quam per terebrationem quæri, vix tamen reperiri potuerit, quæ vero non solum supervacanea atque hic loci quam maxime periculosa, sed etiam valde dubia fuisset; quod sequentia facile probabunt argumenta: Primo enim a posteriori nobis jam cognitum est, illam ad salvandum ægrum absolute necessariam non fuisse: Secundo a priori argumenta etiam habemus non levis momenti; quorum.*

1. Est: Quod hæc operatio valde dubii sit eventus, & si male cedit non pauci infelicem exitum non tam morbo, quam operationi ipsi tribuunt: unde sicut non nimium illa, secundum *Hippocrat.* & omnes Chirurgiæ peritos, procraftinari debet, ita etiam non nimis promte ad eam convolandum.

2. Læsiones cranii & cerebri insignes absque ejus administratione curatas legimus; Vid. *Jean-Baptiste Verduc*, dans le *Traité des Operations de Chirurgie, Chapitre XIX. des fractures du Crane, & de l'operation du Trepan*, ubi plura notatu dignissima exhibet exempla gravissime capite vulneratorum, & sine terebratione felicissime sanatorum. it. *Frid. Ruysch*. Amstælodamensium illud decus in *Observationibus Anatomico-Chirurgicis* obs. 60.

3. Globuli majores, & hinc magis minores, uti in aliis corporis partibus; ita

ita etiam in aliquibus capitis diu absque insigni noxa haud raro latent. Globulum plumbeum per longum temporis intervallum, nullo superveniente symptomate, in cerebro contentum vide apud *Fabr. Hildanum Cent II. Obs. 2.* Sic multæ quoque observationes aliæ, quas hic recensere chartæ angustum spatium prohibet, huic rei fidem faciunt.

4. Terebratio ita comparata est, ut nisi omnes circumstantiæ & cautelæ adhibitæ fuerint, illa, secundum artem perite administrata, sinistri eventus causa fieri possit. Notari enim meretur, quod fere omnes, qui *Parisiis Lutetiorum* in nosocomio, *l'Hotel-Dieu* dicto, terebrantur, vitam cum morte mutant, cum plerumque ii, qui ibidem in nosocomio, *la Charité* appellato, vel aliis Xenodochiis, in & circa hanc urbem collocatis, hanc operationem sustinent, salvi evadant. Ratio hujus phænomeni aëri, qui in priori non ita, ac in his, purus existit, regiminique, ob magnum decumbentium numerum, non ita exacte observato, minime vero Chirurgis, operationem dictam exercentibus, adscribitur.

5. Nonnullæ circumstantiæ non contemnendæ dictam operationem dissuadere videbantur; scilicet ætas subjecti provectior, (quinquagenario enim major erat,) corpus a morbis prægressis debilitatum: ut taceam alias infirmitates, quas ab aëris injuriis, aliisque vitæ militaris incommodis contraxerat.

6. Quod omnem fere paginam absolvit, & Medicum æque ac Chirurgum ab ejusdem administratione deterrere poterat, est, quod determinare non licuit, quo in loco trepanum applicandum. In ipso vulneris loco illud applicare ratio dissuadebat, quia in tali loco erat, ubi propter duræ matris cohesionem terebrare vix licet, vid. *Ambros. Paræus*, secundo: quia ejusmodi corpora in eo loco, in quem primum adiguntur, subsistere non solent, sed situm & locum mutant. Germani illud efferunt: *Ste sencken sich*. Posito hoc, verosimile est, grandinem sursum ascendisse, ubi terebratio facilis fuisset, sed uti ex principiis physicis demonstratu facile est, deorsum eum latum esse conjicere licet. Ergo vel ad basin cranii, vel in sede frontis inferioris hærebat; illo in loco terebrationem fieri impossibile est, in hoc minus consultum, quia os frontis sinu ibidem excavatum esse, autopsiâ anatomicâ constat. Quando & ubi trepanandum sit, docet præter alios *Excellentissimus D. BOERHAAVE* in *Aphorismis de cognoscendis & curandis morbis*, & *Bohnius* in *libro de renunciatione Vulnerum*, item *Fabrit. ab Aquapend. Chirurg. l. 2.*

7. Cui accedit, quod necessitas nulla fuerit, quoniam ex inflicto per sclopetum foramine materia purulenta, (propter quam illa præprimis institui debuisset,) sat magna in copia exiit, & ægri symptomata tanti non fuerint, ut dictam operationem pro certissimo & infallibili indicato adsumeremus. Quare neutiquam ejus intermissio culpanda, sed approbanda erit.

Quæritur nunc, qualis materia illa, quæ e vulnere prodiit, fuerit, & unde copiosus ipsius proventus? Ex historia morbi constat, illam prioribus diebus ad integram usque hebdomadam nihil aliud, quam cerebri portiunculas sanguine intermixtas retulisse; hinc credibile est globulum, dum quadam vi

B ad



ad cerebrum appulsus est, vascula arteriosa ac venosa dilacerasse, cerebrumque fortius commovisse: unde sanguis, in istis antea contentus, extravasatus, ac cerebri particulae à globulo convasatae & abreptae per apertam viam facili negotio exitum invenire potuerunt, non sine magno aegri levamine. Globulus quoque cerebro contiguus, continuata pressione, non parum ad copiosum hunc materiae effluxum fecisse videtur; postquam vero mole propria commodiorem nactus est sedem, & vasa illa progressu temporis concretata, ac iterum consolidata sunt, materia quoque, progressu temporis sensim, accedentibus exsiccantibus remediis diminuta est. Quod vero cerebri pars sine vitae periculo amitti queat, praeter alios probat *Neucrantzius*, in *Dissert. de Vulner. lethalibus*, exemplo puellae 7 annorum, quae portionem cerebri ingentem, magnitudine pomi, ex vulnere ab equo inflictio, perdidit. Videtur quoque hanc in rem *Barbette*, *Valleriola*, *Riolanus*, & *Scenckius* imo & *Galenus* ipse, ubi plura reperiuntur exempla. Sic memini, a PARENTE MEO DILECTISSIMO saepe mihi mentionem factam hominis cujusdam, agriculturam exercentis, cui aestivo tempore, inter colligendum foenum, instrumentum non exiguae molis, & furcae nomine notum, quo frumentorum quaevis genera in curram deponunt, ab alto in aedibus forte delapsum, contusionem & fracturam cranii adeo insignem excitavit, ut furcae illi, cranio tam diu infixae, donec ab adcurrentibus demum extracta fuit, cerebri magna copia adhaerit, & major adhuc inter morbi decursum separata fuerit. Qui vero quoque, adspirante Divino favore, sub *Parentis mei* regimine servatus est, & longum temporis spatium supervixit. Notatu digna vero est historia puellae sine cerebro natae, quae in *Zodiaco Medic. Gallico Ann. 3 Obs. 3* refertur, & illa, quam *Zacutus Lusitanus Tom. II. Prax. Med. mirabil. L. I. Observ. 5* de puero, qui 3 annis sine cerebro vixit, exhibet. Erit porro cujusdam hic copia dubitandi, num globulus ille, qui diametraliter per cranium trajectus est, adhuc intra calvariam reperiatur, an vero vel cum sanguine statim a vulnere egresso, vel cum portiunculis cerebri, vel cum materia purulenta jam dum exiverit. Quod vero factum non esse, sequentia persuadent:

( $\alpha$ ) Non ignoramus, illum per integumenta capitis communia, musculum frontalem, cranium &c. non exigua vi ac impetu ad cerebrum usque perpulsum esse.

( $\beta$ ) Probabile admodum videtur, cerebrum ejusque membranas, eum obvolvendo undique, ejus reditum impedivisse.

( $\gamma$ ) Defuit vis motrix, quae eum eò redegit.

( $\delta$ ) Introiens solus erat, exeunti autem sanguis, particulaeque cerebri viam intercluserunt. Quando enim, ut ex mechanicis patet, duo vel plura corpora uno momento ad idem foramen appelluntur, alterum alteri impedimento est, obicemque quasi ponit.

( $\epsilon$ ) Post illam contusionem externae capitis partes mox intumuerunt, & sic ei exitum denegarunt.

( $\zeta$ ) Ob

(ζ) Ob gravitatem, quod ex physicis intelligitur, sine dubio locum paulisper mutavit, [ 1 ] *Er hat sich gesencket.*

(η) Postea vero in quavis deligatione omni industria in eum attente animadversum fuit, non vero observatus est.

[ 1 ] deficit

(θ) Copiosa e vulnere profluens materia, & diuturna curationis protractio, de ejus in calvaria presentia testatur.

(ι) Dolor ille obtusus, quem æger ante sanationem, & adhuc hodie à mutationibus aëris perſentit, non leve ejus in ventre supremo existentiae dat argumentum.

(κ) Globulus dum ad cranium allidit, sæpius applanatur. vid. *Purmanni Schusswunden p. 74 & 179.* Quod si factum & hic est, commodius adhuc inhaerere cranio poterit.

Quæ omnia collective sumpta, probeque expensa, nullum amplius hujus rei dubitandi relinquunt locum. Quo vero demum ille abierit, hoc certe determinare non licet, nisi opinionem solida ratione destitutam aliis obtrudere vellem: Probabile vero est, ad basin cranii, mole propria, & aliquali duræ matris contractione, arteriarumque pulsu, eum esse delatum. Haud quidem ignoro, dari nonnullos, qui meningibus motum contractorium proprium denegant, quorum princeps est *Perspicacissimus Dominus Mery, Hist. Acad. Reg. Scient;* contrariæ vero parti patrocinantur imprimis *Experientissimus olim Romanorum Baglirius cum Pachione, Medico Secundario in Nosocomio Consolationis.* Quam autem controversiam meam non facio, imprimis cum hi præclari ultimi Viri in suis Scriptis, & *Excellentissimus SALZMANNUS in Dissertatione supra citata §. 18 & 19* fusius de hac re egerint, ad quos Lectorem Benevolum propterea remitto. Tamdiu itaque judicium nostrum in hoc quæſito suspendendum erit, donec forſan, extincto nostro subjeeto, caput perſcrutari licebit. Quæritur nunc ultimo, cur vulnus nostrum non lethale redditum fuerit?

(I) Si de altero globulo, qui obliquo cursu contusionem in medio frontis fecit, quæris? ille minori cum impetu integumenta penetravit;

(II) Si de eo, qui rectâ, & diametraliter impetum in os frontis & partes internas fecit? illum non levem fuisse largior; quia tamen

(III) rotundus erat, non magnæ etiam molis.

(IV) Absque magna cerebri commotione, quæ, omnium Medicorum consensu, funesta ut plurimum esse solet, penetravit.

(V) Per calvariam transiens multum de virtute sua amisit, & non omnem suum impetum meningibus atque cerebro communicare potuit, præsertim si cranium solito crassius fuit, qualia recensent passim Auctores, & ipsemet *Parisus* æque, ac *Argentorati* vidi.

(VI) Vulnus anticæ cerebri parti infligebatur, quæ tanti momenti non sunt ac illa, quæ in parte postica occurrunt, ob cerebelli, nervorum, & medullæ spinalis viciniam; item quæ temporibus infliguntur, cum terebratio ibidem vel plane non, vel maximo tamen cum periculo, institui possit, eo,



quod musculi temporales a pericranio cingantur. Tum & considerari meretur (VII) Diæta, & vitæ genus prægressum non minus, quam post læsionem in cura observatum; qui enim rudiori ab ineunte ætate adfuerunt victus generi, ad graviora perferenda præparantur, & quasi indurantur. Optime huc quadrat *Aphor. 49. Sect. II. Hipp.* Hoc insuper vulnere nostro proficuum extitit, quod ope fornacis aer in hypocausto ægri pro lubitu temperari potuerit, secus ac fit in iis regionibus, ubi caminis utuntur incolæ.

(VIII) Temperamentum ægri multum quoque ad feliciter peragentem curam contulit; qui enim cholericæ temperiæ gaudent, ad inflammationes periculosiores proclives observantur, & in affectibus animi, præcipue ira, non tam bene moderare se possunt, Phlegmatici autem ob vasorum exilium copiam, hincque sanguinis promptiorem obstructionem, quoque periclitantur.

(IX) Clima, quod in Patria non nimis calidum æstate, nec nimis frigidum hyberno tempore existit, sed ad temperiem inclinat.

(X) Anni tempus Vernale, quo omnes morbi curatu faciliores sunt, quam autumnino, vel summo existente frigore, aut media æstate.

(XI) Quod nulla symptomata vel e vestigio, vel post aliquod demum tempus supervenerint.

(XII) Quia extravasatus sanguis & materia deinceps purulenta statim exitum invenere, adeoque cerebro non molesta fuerunt.

(XIII) Ex his & similibus conjecturari licet, eum non adeo profunde in cerebri interiora penetrasse, sed in superficie ejus corticali potius hæsisse.

Hæc sunt potiora, quæ circa præsentem casum annotare potui: antequam nunc vela contraho, liceat adhuc paucis monere, quod in omni capitis læsione, ubi vel sub integumentis, vel intra cranium sanguis extravasatus hæret, fofus vel ejusmodi facculi cephalici in vino cocti, calideque applicati, summo cum fructu adhibeantur, nec ullo modo negligendi sint. Deinde lenes purgationes, & clysmata ex emollientibus parata, quæ hic non opus erant, proficua admodum reperiuntur. Tandem quam maxime observent hic ii quibus vulnere curatio contingit, quomodo emplastrum hic applicatum fuerit; nempe in turundæ formam redactum. Eo namque omnis nostra intentio vergebat, ne ante omnem materiæ intus contentæ eliminationem vulnus coiret, aut justo citius concreveret, alias sine dubio ad fati limen esset deductus æger. Peccatur in eo sæpissime à Chirurgis, quorum deinceps imperitiam terra tegit. Quale Exemplum prope *Helmstadium* ante triginta aliquot accidisse annos, PATER MEUS VENERANDUS mihi jam olim retulit: ubi cuidam in capite vulnus inflictum fuit, quod à Chirurgo, vel barbitonsore potius, per mensem & quod forte excurrit, tractatum, spem non mediocrem reconvallescentiæ dedit, quare ille, nihil mali metuens, consolidationem labiorum vulneris promovit, atque optima quæque promisit: Cum vero materia intus contenta exitum deinde ob clausam viam non impetravit, hem! æger præter cogitationem exstinguitur, ac postmodum terræ mandatur. Hujus

jus vero cognatis contra commissum Rei homicidium apud Judicem insurgentibus, hic, impunitatem quaerens, Advocati in Medicina Forensi exercitati usus est opera, qui vulnus ex negligentia Chirurghi, neque ex natura vulneris ipsius lethale factum asserens, eò Magistratum demum, elapsa jam una vel altera septimana, redegit, ut cadaver effoderetur, effossumque inspiceretur: quod dum in *Excellentissimi* quondam *Meibomii*, & inter alios, *Parentis mei* (illius tunc utens instructione Medica) praesentia factum est, evidentissime pus intra cranium & duram matrem collectum, adeoque vera mortis causa detecta est, quae Reo impunitatem, Chirurgo vero sinistram famam, atque ad aliquot annos extra oppidum proscriptionem procuravit. Utinam omnes Chirurgorum & quandoque Medicorum sic detegerentur crassi errores, quo cautius mercari discant. Atque sic, ni fallor, absolvi quod suscepturum promisi: reperiuntur forte alia, quae annotatione digna sunt, cum vero quilibet in arte Medica leviter saltem versatus ea facile dijudicare possit, temporisque parcam, filum hic abrumpo; nihil magis in votis habens, quam ut utilitatem quandam unus vel alter Philiatorum exinde percipiat, quorum in gratiam haec tantum conscripsi. Deo itaque Ter Optimo Maximo pro concessis hactenus in studiis meis viribus, donataque in regionibus externis firma valetudine, gratias immortales persolvo, Eumque supplex veneror, ut porro conatibus meis Gratia sua adesse dignetur.

F I N I S.

in hoc regno contra...  
 ista...  
 ut...  
 in...  
 vel...  
 et...  
 in...  
 quod...  
 sed...  
 cum...  
 vero...  
 tempore...  
 ut...  
 in...  
 cum...  
 per...



## S E C T I O P R I M A .

## D E L Æ S I O N I S H U J U S C O G N I T I O N E .

## M E M B R U M I .

*De ejusdem Existentia.*

Q uod a multis retro temporibus inter naturæ scrutatores non modo, verum & medicos obtinuit, uti, dimisso sensu, rei cujusdam existentiam manifeste monstrante, multis nihilominus ratiociniorum momentis in subsidium vocatis, eandem in dubium vocarent; illud certe læsionibus, quas in presenti exponere animus nobis est, non uno accidit tempore.

Jam enim olim non modo magnus ille naturæ Genius, divinusque vir, quo elogio à doctissimo *Pavio*, ex merito, ornatur, *Hippocrates*, verum & *Celsus*, atque alii, mox nominandi, oculis suis usurpaverant lugendam illam capitis vulnerum speciem, qua, ab ictu quodam & plaga capiti inflicta, cranium non illo, sed alio in loco fissum fuerat deprehensum, cum subtus extra vasa sua emissio sanguine, in putrilaginem vel jam converso, vel tamen abituro.

Confirmaverant idem frequentioribus exemplis recentiores, ac præter hæc, quandoque talem sanguinem extravasatum, sectione, post mortem, instituta, alio quam in ictus loco invenerant, tegmine, modo dicto osseo, seu calvaria, nihilo secius integra, & sine ulla fissura observata. Unde *Hippocrates* l. de cap. vulneribus c. 9 præmissis quatuor, capitis læsionum, generibus, Fissuræ, Contusioni, Depressioni, Telique sedi, quintum, sub *Calamitatis*, seu *Infortunii*, nomine verbis sequentibus non modo subjunxerat: *t. 1. Si vero alia capitis parte vulneratur (quam qua) & ulcus habet homo, & os carne denudatum est, quintus hic modus est: verum & sanationis difficultatem, vel potius impossibilitatem, hunc in modum expresserat: & hanc Calamitatem, ubi facta est, nulla re juvare queas. Nam si passus est hoc malum, non est, quod ex ipso exquirere possis, an passus sit hoc malum, neque qua capitis parte.*

Et *Celsus* l. 8. c. 4. p. 704. Solet etiam evenire, ut altera parte fuerit ictus, & os altera fiderit, quam læsionem hæc investigare nititur ratione: Itaque si graviter aliquis percussus est, si mala indicia subsequuta sunt, neque ea parte, qua cutis disscissa est, rima reperitur, non incommodum est, parte altera considerare, nunquid locus mollior sit, & tumeat, eumque aperire. Siquidem ibi fissum os reperietur; addita, si quando operatio fuerit frustra suscepta, haud difficilis consolidationis, spe: nec tamen magno negotio cutis sanescit, etiam si frustra desecta est.

Tom. I.

C

His,